

*Experimenta.*

1. Vesica, in qua paucus aer existit filo, firmiter si constringatur & suspendatur in vacuo recipiente, tunc aere extracto in vesica internus mire se expandit & vesicam inflat: simul ac autem aer rursus in recipientem admittatur, vesica ad pristinum suum statum redibit.

2. Similis Vesica in qua inclusus est paucus aer, plumbeo corpore inferius appenso oneretur, hæc post factam aeris extractionem non modo intumescet, sed & hoc pondus in altum elevabit.

3. Vitrum repleatur mercurio, ita tamen ut 2. pollices aere repleti maneant, tunc vitro inseratur tubus qui submergatur mercurio, postea vasculum vitreum firmiter claudatur & hoc instrumentum campanæ submitatur, aerque externus removeatur, ita videbis mercurium assurgere in tubulum ad 28. ferme pollices, & tardissime, vel plane non, si antlia fuit perfecte constructa relabetur: quo ipso ostenditur ætheris gravitas, & qua ratione elasticitas aeris compenset ejus pondus.

4. Siphon sumatur bicruralis vitreus qui ad certam quantitatem repleatur mercurio, postea unam crus claudatur cera, alterum maneat apertum, imponatur hic Siphon recipienti, & videbimus aere subtracto mercurium in crus apertum ex æquilibrio suo ascendere ab aere alteri cruri incluso & valde expanso.

5. Tubus *Torricellianus* ita aptetur, ut in superiori parte sufficiens capacitas præsens sit, & ipsa aperiri & etiam rursus claudi possit; immittatur tunc huic spatio vesica piscis, & orificio firmato repleatur tubus mercurio & more solito invertatur, sic ascendet usque ad consuetam magnitudinem, & vesica in superiori ejus parte

E

relicta,